

1251, novembre, 12

*Ferrer de Cruilles promet a l'abadessa Berenguera de Sant Daniel que en el termini d'un any farà firmar al seu germà, dit també Ferrer de Cruilles, monjo de Sant Miquel de Cruilles, la venda del mas Rovira de Cruilles, feta a la referida abadessa.*

En el pergami de l'escriptura anterior.

Sit notum cunctis quod ego Ferrarius de Crudiliis facio hoc presens instrumentum in posse tui Bernardi de Impuriis, procurator syndici monasterii Sancti Danielis recipientis illud nomine Berengarie abbatisse Sancti Danielis, in quo instrumento conuenio bona fide et stipulacione promito dicte domine Berengarie abbatisse et tibi nomine ipsius quod ab hoc primo ueniente festo Natalis Domini usque ad .I. annum uel in medio faciam cum mea missione et sine dampno et missione ipsius domine abbatisse a fratre meo Ferrario de Crudiliis, monacho monasterii de Crudiliis, et a priore eiusdem monasterii firmari et laudari totam illam uendicionem quam ego et mater mea Dulcia et frater meus Ferreronus fecimus ipsi domine abbatisse de manso nostra de Rouira et honoribus et possessionibus et censibus et agrariis et dominacionibus ipsius mansi et honorum ipsius mansi, que omnia a nobis emit pro precio mille .DCCL. solidorum barchinonensium ut in instrumento inde confecto continetur, et hoc faciam sine dampno et grauamine quod inde dicte domine abbatisse aliquo modo non contingat. Uerumtamen si dictus prior de Crudiliis et Ferrarius de Crudiliis monachus eiusdem loci uel aliquis alius nomine ipsorum aliquid dicte domine abbatisse uel in dicto manso et honoribus eiusdem exigeret, ego ante ingressum litis promitto me ante ipsam dominam abbatissam et conuentum Santi Danielis ponere et honus et litem statim me et meos recipere et dictam dominam abbatissam et conuentum eius presentem et futurum inde indempnes seruare in curia et extra curiam et in placito et extra placitum et in iudicio et extra iudicium et cum meis propriis expensis et missionibus, obligando dicte domine abbatisse et conuentui eiusdem ad hec omnia bona et iura ubique, et super hiis renuncio omni foro et franchitati et priuilegio militarii(sic) de non dando tercio et pedatico curie, et iuro super sancta .IIII. Dei Euangelia corporaliter tacta hoc totum fideliter atendere et complere. Insuper dono inde dicte domine abbatisse fideiussorem et restitutorem Guilabertum de Crudiliis; et ego Guilabertus de Crudiliis instituo me etiam fideiussorem et restitutorem et absque ulla fraude teneri dicte domine abbatisse et conuentui eiusdem presenti et futura de toto supradicto pro predicto Ferraria de Crudiliis, cum eo et sine eo, in morte et in uita, et renuncio beneficio noue constitutionis qua cauetur ut prius conueniatur principalis debitor quam fideiussor et preterea renuncio omni franquidia et priuilegio militarii de non dando tercio et pedatico curie, et obligo inde domine abbatisse et conuentui eiusdem omnia mea bona et iura ubique.

Actum est hoc .II. idus nouembris anno Domini .MCCL. primo.

Sig+num Ferrarii de Crudiliis, sig+num Guilaberti de Crudiliis, qui hoc firmamus et laudamus. Sig+num Raimundi de Solerio, sig+num Petri Otgerii, testium.

(s. man.) Amallus de Sancto Martina, qui hoc scripsit mandato Bernardi de Uicco, publici Gerunde notarii. Ego Bernardus de Uicco, publicus Gerunde notarius, subscribo.

Extret de: Marquès, Josep M., ed. Col·lecció diplomàtica de Sant Daniel de Girona (924-1300). Barcelona: Fundació Noguera, 1997. 318-319